



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Confessio sacrame[n]talis multis de causis tam ex parte cōfessoris, quàm
ex parte confessi venit iteranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

quòd secundum preparationem animi esset sic dispositus, quod est parere paratus, si debet satisfacere, & hoc includitur in hoc quòd dicitur parere paratus ad satisfactionē debitam. Si quis autem tam parum dispositus est ad poenitentiam, ut nullam velit acceptare à se agendam in hac vita satisfactionem, sed absolui petit remittendus ad poenam purgatorii, absolui potest, tanquam parere paratus per satisfactionem purgatorii, ne desperatus, in infernum se precipitet, à quo non multum distare videtur, qui in huiusmodi pertinacia persistit. Et tunc confessor absolueret à peccatis, & nō ligaret ad poenam, sed ligatum ad poenam relinqueret foro acerrimo diuinæ iustitiæ puniendum temporaliter. Nec sacramentum poenitiæ esset omnino perfectum secundum suæ materiæ partes integrales: quia sacramenta omnia ad præsentem vitam spectant, in qua satisfactio valde manca esset. Hic tamen defectus non annullaret sacramentum: quia essentialia saluarentur.

Confessio sacramentalis multis de causis tam ex parte confessoris, quàm ex parte confessi venit iteranda.

Confessio iteranda considerari debet vel ex parte poenitentis, vel ex parte confessoris. Et quia in consistente quatuor inueniuntur (scilicet contritio, confessio, satisfactio, &abilitas ad sacramentum) ideo sigillatim pertransire hæc oportet, ut clarius sit doctrina.

Contritio igitur ex duobus integratur, scilicet ex displicentia præteritorum, & proposito vitandi futura. Si totaliter deficeret cōtritio, esset sine dubio iteranda confessio: quia nec confessio esset, sed confessionis simulatio, ubi totaliter contritio deficeret. Impossibile siquidem est, ut confiteatur quis sine aliqua displicentia

displacencia peccati, nam qui confitetur, proponit suum peccatum, ut malum proprium quo desiderat carere: & quantum appetit exonerari, tantum sibi displicet peccati onus. Qui autem solum narrandi gratia confiteretur, non nisi æquiuocè confiteretur. Confessio enim sacramentalis, detestatiua est peccatorum confitentis. Quod si attritio pro parte inuenitur, puta quia displicet offendisse Deum, sed non habet propositum vitandi futura, quamuis habeat uelleitatem, puta non habet animum restituendi aliena, non habet animū relinquendi cōcubinam, quamuis uellet non offendere Deum, ex tali defectu cōtritionis pœnitentia redditur nō vera: ut patet de pœn. & remis. capit. quod quidam. & absolutio neganda est. Et proculdubio sacrilegium committit tam confessor talem absoluens, quam pœnitēs absolutionem suscipiens: quia iniuriam iāferunt sacramento pœnitentiæ. Et quoniam talis sic confitens, sicut in suæ attritionis defectu proponit se Deo ut impœnitentem (quia ut perseverantem in peccati mortalis statu scienter & aduertenter) ita Ecclesiæ clauibus proponit se similiter ut impœnitentem, explicando suum animum non deserendi statum peccati mortalis: ideo confessio huiusmodi est iudicio meo iteranda de necessitate quantumcunque integrauerit: nō quia fuit informis, sed quia per se fuit contra formam sacramenti. Nam sciens & prudens proposuit se ut inabsolubilem. Si demum contritio ambas partes habet, scilicet displicentiam præteritorum, & propositum vitandi futura, sed imperfectè. (puta sic se habet ac si hominem offensum placaret, puta, parce præteritis, de cæterò non te offendam) ex huiusmodi imperfectionibus contritionis non est iteranda confessio: quia perfecta contritio etsi exigitur in deletionem peccati apud Deum, non tamen exigitur ad deletio

deletio

deletionem peccati apud forum poenitentiale Ecclesie, potest enim nostra vera confessio esse informis. Et nisi posset esse informis, nullus esset certus se esse verè confessum: & oporteret hominem semper de iteranda confessione sollicitari, & nunquam confessioni finem imponere: quod Ecclesie aures pias offendit. Rursus nisi confessio posset esse informis, oporteret probare hanc exceptionem sacramenti poenitentiae, quòd solum inter sacramenta non potest esse informe: nam reliqua omnia sacramenta possunt esse vera & informia simul, vt patet discurrendo per singula. Potest igitur sacramentum poenitentiae verum esse & informe simul. Ex confessionis autem vnico tantum defectu redditur confessio necessario iteranda: scilicet si non est integra. Et hoc etiam intelligitur si per se & formaliter (hoc est si voluntarie) non est integra ex parte confitentis: vt superius declaratum est. Contingit autem hoc (vt etiam praedictum est) dupliciter: vel quum confitens ex verecundia, &c. tacet aliquid necessario dicendum: vel quum tam crasse cogitat de confitendis, vt omittat ea quae communiter omnes confitentur: puta si non habet animum abstinendi à mortalibus, quod etiam minimae mulierculae explicare solent, haec enim & similia reducunt confessionem dimidiam materialiter, ad dimidiam formaliter propter propinquitatem animi ad incuriam de integritate confessionis. Ex satisfactionis autem defectu, nullum scio casum quorite confessus & absolutus teneatur necessario confessionem iterare. Nam si satisfactionem à confessore impostam, in peccato mortali perficit, non propterea iterare tenetur confessionem: quoniam sine poenitentia sunt dona Dei: vt dicitur ad Romanos xi. Et si satisfactio informis non valet, vt satisfaciat Deo, sufficit tamen Ecclesiae, non minus quam con-

fessio

confessio informis. Si quoque satisfactionis iniunctae
 penitus est oblitus, non propterea tenetur iterare
 confessionem: Tum quia sine poenitentia sunt dona
 Dei. Tum quia potest commutari, aestimando quod
 satisfactio oblita non excedebat tria psalteria aut an-
 num ieiunii, aut eleemosynam centum ducatorum,
 & huiusmodi. Tum quia poenitens non tenetur ad
 peragendam iniunctam satisfactionem, nisi ut satis-
 faciat soluendo temporalem poenam à se debitam,
 iam taxatam, & acceptatam: & propterea si omittat
 illam absque contemptu, nihil aliud, nisi peccatum
 omissionis incurrit, & in reatu temporalis poenae non
 solutae perseverat. Ex nullo autem horum constat
 sequi quod debeat iterare confessionem: sed quod de-
 beat poenitentiam delicti agere, & satisfacere, illam
 vel æquivalentem soluendo poenam. Et inhabilitate
 demum contentis ad susceptionem sacramenti, pro-
 pter Ecclesiasticas censuras (quia scilicet est excom-
 municatus siue maiore siue minore excommunica-
 tione: utraque siquidem excludit à passiva participa-
 tione sacramentorum) impediri sacramentum potest
 dupliciter intelligi. Primo, ut sacramentum nullum
 sit. Et iuxta hunc sensum non verificatur: quoniam
 sicut cætera sacramenta ab excommunicatis sumpta,
 sunt vera sacramenta: ita & sacramentum poeniten-
 tiae. Secundo, ut sacramentum in iudicium sibi sumat-
 ur. Et hic est sensus verus: quia excommunicatus ab
 omnibus excluditur sacramentis, & nullum sacra-
 mentum ab excommunicato suscipitur absque sacri-
 legii crimine. Et quoniam alia est quaestio, an excom-
 municatus illicitè & indignè immisceat se sacramen-
 tis: & alia quaestio an excommunicatus suscipiat ve-
 rum sacramentum, quodcumque sit illud: & veritas no-
 stri propositi ex secunda pendet quaestione: ideo si
verum sacramentum poenitentiae suscipitur ab ex-

communi-

82 Confes. iteratio.

communicato, non habet excommunicatio, unde cogat ad sacramenti poenitentiae iterationem: si autem sacramentum ab excommunicatione annullaretur, oporteret sacramentum iterari. Ex iure autem excommunicationem annullare suscepta sacramenta non habetur: quoniam tamen multa excommunicatis sint sic inhibita quod facta, sunt irrita, ut acquirere beneficia, eligi, &c. Unde consequens est ut excommunicati confessio integra, si subsequuta est de facto absolutio sacramentalis, non sit necessario iteranda: sicut non est iteranda per solutio horarum canonicarum, quas excommunicatus exoluit cum aliis solenniter in Ecclesia, & tamen à participatione aliorum qui medietatem dixerunt, erat per excommunicationem exclusus: & sicut non est iterandum sacramentum matrimonii quod excommunicatus contraxit, & sicut non est iterandum sacramentum extremae unctionis quod excommunicatus sumpsit.

Confessio sacramentalis quare ex parte confessoris iteranda.

EX parte autem confessoris iteranda confessio propter defectum potestatis, ut scientiae, vel voluntatis est: quoniam haec omnia ad perfectionem sacramenti exiguntur. Et de potestate quidem constat secundum iura, quod si deficit confessori potestas ordinis: quia non est sacerdos: aut potestas iurisdictionis, quia nec ordinariam, nec delegatam iurisdictionem quovis modo habet: aut usus potestatis, quia est excommunicatus maiori excommunicatione, aut suspensus ac huiusmodi usu, confessio iteranda est: quia absolutio nulla fuit. Et ideo sacramentum nullum fuit: quia defuit ipsius forma, quae est absolutio. Memento tamen hic supradictorum de absoluteione, scilicet quando gesta tenent ratione publici officii propter communem